

## FERDINANDI I. IMPER. &amp; REGIS DECRETUM XVII. ANNI 1556.

*Tricesimarum loca vetustiora et libertates Regnicolarum serventur.*

## A r t i c u l u s 37.

§. 1. Ut secundum Constitutiones proximorum Conventuum, exactio Tricesimarum ad loca priora (ubi scilicet secure per Turcas id fieri potest) ad primum diem Martii futurum transferantur; tam in Ungaria quam in Sclavonia.

## FERDINANDI I. IMPER. &amp; REGIS DECRETUM XVIII. ANNI 1557.

*Subsidium duorum florenorum; ad Regni necessitates, Regi censetur.*

## A r t i c u l u s 3.

§. 9. Caeterum Valachi, Rutheni et Rasciani, quicumque sessionati coloni sunt et census praestant; domus eorum, quemadmodum reliquorum colonorum sessionatorum, connumerentur et dicentur.

*Libertates omnium, in Tricesimis, Teloniis aliisque Tributis serventur.*

## A r t i c u l u s 16.

Est etiam summe necessarium (prout Sua Majestas clementer se curaturam obtulit) ut tam ipsius Domini Strigoniensis et colonorum suorum; quam caeterorum omnium Dominorum, Praelatorum, Baronum, ac Nobilium, item Liberarum et Montanarum Civitatum et aliorum Ordinum, ac Statuum; tam in Ungaria, quam Sclavonia et Croatia; privilegia et immunitates, in Tricesimis, Tributis et Teloniis observentur.

*Limitum Regni causae cognoscantur, diffiniantur et executioni demandentur.*

## A r t i c u l u s 18.

Revisionem etiam causarum limitum Regni, cum Moravis circa Szkolcza et alia loca; et cum Styriensibus et Austriacis, in Comitatu Castriferrei et Soproniensi; nec non Sclavoniae et Croatiae, cum Carniolensibus, quae nondum revisae sunt: Executionem quoque earum, quae proximis annis fuerant revisae; Sacra Majestas Sua, ad supplicationem Statuum se propediem curaturam clementer obtulit: Cum id hactenus, propter gravissimas ejus Majestatis occupationes fieri commode nequiverit: Quandoquidem eadem de re, cum ipsis quoque caeteris Provincialibus suis tractare oporteat, in publicis similiter Conventibus.